

P V I S



1 6 0 3

THEMATA
DE IMAGINE DEI
IN HOMINE.

AVTHORE D. IOACHIMO
Mörlino Episcopo Sambienſi, &c.

ET DE EADEM MATERIA
BREVIS TRACTATUS D. DOCTORIS
Martini Chemnitij, Superintenden-
tis Brunſchvicenſis.

CONTRA IMPIAM ET AB-
ſurdam Propoſitionem:

Peccatum eſſe ſubſtantiam, uel ipſam
etiam animam rationalem.

*Ad Ephesios Cap: 4.
Non circumferamur omni vento
doctrinae.*

VVITTEBERGÆ

Anno M. D. LXX.

DEI INVA GINE DELI

IN ROMA

ET DE FADINA NATURA

BOVINA INDIAM ET AB

IN

IN

IN

IN



DE IMAGINE DEI
IN HOMINE.

I.

QUI recte volet, & ex fundamentis tractare res theolo-
gicas, illum oportet ante omnia probe tenere doctrinam
de Imagine Dei.

II.

Impossibile enim est sine illa doctrina scire, quæ fue-
rit hominis integritas, quid originalis iusticia.

III.

Impossibile igitur est scire, quid sit hominis lapsus,
quod sit originale peccatum.

IIII.

Igitur impossibile est scire, quid hominis arbitrium
& vires.

V.

Impossibile igitur est scire, quod sit Mediatoris be-
neficium.

VI.

Ergo est in Theologia prorsus nihil scire, sed de rebus
ignotis indicare sicut cæcus de colore.

VII.

Nihil autem in hac tanta & tam gravi materia in-
dulgendum est cogitationibus humanis.

VIII.

Sed tota doctrina ita ex Dei verbo eruenda est, ut
non impingat in aliquem articulum catholicae fidei.

IX.

Ex primo articulo Symboli Apostolici certum est, sicut
& ex Dei verbo, Deum ab initio creasse perfectum homi-
nem,

A 2 nem,

nem, qui ex corpore formato ex gleba terra, & anima, à Deo inspirata, constaret, quod ad substantiam attinet.

X.

His substantialibus Deus inseruit naturalia, vim scilicet & potentias peculiare, cum rectitudine & integritate omnium virium.

XI.

Vt sicut oculus naturaliter videt, ita mens perspicua & diuina luce ac sapientia tota persusa, naturaliter & perfectissime Deum agnosceret.

XII.

Hunc Deum toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus perfecte & ardentissime super omnia diligeret.

XIII.

Itaq; nihil vellet, nihil aliud diceret vel faceret, quam omnia prorsus diuina.

XIIII.

Vt tota imago Dei in homine reluceret, & omnia diuina homo non sciret solum, verum etiam vellet & diceret.

XV.

Ideo recte dicit Christus Matth. 19. à Deo dictum esse, quod homo ante lapsum docuit & dixit, Gene. 2. Caro ex carne, vel duo in carne vna, &c.

XVI.

Non autem hæc extra substantiam & naturam hominis ascititia fuerunt, sed omnia, vt diximus, connaturalia substantie hominis, & ipsa Dei imago.

XVII.

Et tamen non ipsa hominis substantia.

XVIII.

Non ergo corpus nec anima.

Que

XIX.

Qua substantia, anima scilicet, & corpus, mansit in homine post lapsum, cum omnibus partibus substantialibus & integralibus. Sicut Lutherus inquit: Manet natura. Item, manent in natura membra eadem, in Gene. cap. 3. fol. 48.

XX.

Non autem mansit imago Dei.

XXI.

Errant igitur, qui dicunt, hominem vel secundum corpus, vel secundum anima substantiam Dei imaginem esse.

XXII.

Nam aut cum imagine Dei amissa est anima & corpus, vel substantia hominis, contra articulum Symboli primi.

XXIII.

Ergo non verum hominem assumpsit Dei Filius post lapsum, contra articulum secundum.

XXIII.

Nec lapsam naturam Filius Dei per regenerationem restituit, contra eundem.

XXV.

Frustrà quoque credimus, huius carnis resurrectionem, contra articulum tertium.

XXVI.

Aut mansit substantia, corpus scilicet & anima, & ex utroque, verus homo.

XXVII.

Non autem mansit imago Dei, ut dictum est.

A 3

Ergo

XXVIII.

Ergo imago Dei fuit res separabilis à substantia ho-
minis.

XXIX.

Et tamen fuit de hominis natura, vel naturale quid-
dam, sicut oculis naturale est videre.

XXX.

Quemadmodum autem visus non est oculus ipse,
etiã si de natura oculi sit.

XXXI.

Ita hæc naturalia non fuerunt ipsa substantia homi-
nis, etiã si fuerunt de natura substantie hominis.

XXXII.

Et sicut cum oculum viciosum reddis inflicto vulne-
re, rectè dicis naturam violatam esse.

XXXIII.

Ita postquam homo ex iusticia in peccatum lapsus
est, rectè & verè dicitur, naturalia non esse integra, Luthe-
rus contra Sophistas in Gene: cap: 3.

XXXIII.

Etsi autem naturalia sunt mutata prorsus in contra-
ria:

XXXV.

Non tamen substantia taliter mutata est, ut vinum
in acetum, vel vappam.

XXXVI.

Neg. enim substantia Physica mutatione in substan-
tiam aliam mutata est.

XXXVII.

Sed substantia natura in naturam sibi in eadem sub-
stantia contrariam.

XXXVIII.

*Vt homo in corpore & anima gerens Dei imaginem,
in mente, voluntate & corde.*

XXXIX.

*In eodem corpore & anima, eadem mente & corde,
secundum naturalia in prorsus contraria immutatus sit, ge-
rens imaginem Diaboli.*

XL.

*Vt idem homo, qui superioribus naturalibus orna-
mentis excellenter erat instructus, post lapsum vanitate
sensus sui, horrendis tenebris obscuratum habeat intelle-
ctum, sit alienatus à vita Dei, per ignorantiam, propter ca-
citatem cordis ipsius, Ephe. 4.*

XLI.

*Et ut verbum Dei illi adnunciatur, habeat tamen
omnia oracula diuina pro extrema stultitia, 1. Cor. 1, nihil
tenens de rebus spiritualibus, 1. Corin. 2.*

XLII.

*Voluntas verò cum omnibus adpetitionibus cordis se-
cundum naturam suam, qualis nunc est, post haustum vene-
num peccati, in iisdem organis à Deo creatis, tota cum omni-
bus sensibus sit inimicitia aduersus Deum, Rom. 8.*

XLIII.

*Hac lues, hoc inueteratum malum, originale & in-
fernale venenum seu toxicum, & philtrum Diaboli, natu-
ra hominis in substantia inditum & infusum, rectè dicitur
imago Sathane.*

XLIIII.

*Refert enim ipsius non substantiam sed mentem, &
volun-*

voluntatem, quae talis est, ut sit Deo per omnia inimica & contraria, magis etiam quam homo ipse intelligat, Iere. 17.

XLV.

Et sicut superior forma, quae recte formata & instructa erat substantia hominis, ut totus Deum vel diuinam vitam viueret, recte dicitur originalis iusticia.

XLVI.

Ita hoc venenum, quod totam substantiae massam post lapsum corripuit & corrumpit, ut homo sua natura, qualis nunc est, inimicus sit Dei mente & operibus, Coloss. 1. ac natura filius ira, Ephe. 2. verè & recte dicitur originale peccatum.

XLVII.

Cum autem praecipua ipsius sedes sit in corde, Gen. 8. & Iere. 17. Quae appellatione scriptura mentem complectitur, & voluntatem cum omnibus adpetitionibus. Et ab Adamo post lapsum initium sumpsit totam carnis massam insciens. Recte igitur & vsitate dicitur, cor, vetus Adamus, vel caro.

XLVIII.

Non quod sit ipsa substantia cordis & carnis.

XLIX.

Ita enim Adamus ante lapsum, non habuisset cor aut carnem, Aut habuisset hanc prauitatem.

L.

Sed quia naturam cordis & carnis naturaliter occupauit.

LI.

A qua lue, quia cor & caro liberari possunt, ut probant articuli fidei, primus, secundus & tertius, cum tota hominis conuersione.

Ergo

LII.

Ergo est res separabilis, Lutherus in Gene. cap. 3 8.
fol. 3 1. sunt peccatum & mors mala separabilia.

LIII.

Sicut autem nullius hominis est, semetipsum creare,
sibi pro arbitrio fingere corpus vel animam, sed solius crea-
toris Dei.

LIIII.

Ita nullius hominis, sed solius Dei opus est, & im-
mensum ipsius beneficium, hominem ab hac lue libera-
re.

LV.

Rectè igitur vocat scriptura hoc opus & hanc repa-
rationem hominis, nouam in Christo creationem, nouam
igitur creaturam, hominem deniq; nouum.

LVI.

In qua reparatione non anima ab anima, non caro
à carne, non cor à corde, deniq; non substantia à substantia
separatur.

LVII.

Sed vitium anima, seu venenum seu toxicum Satha-
na auferitur à substantia anima & cordis.

LVIII.

Sicut vicissim non destructa carnis vel cordis massa,
noua massa carnis & cordis creatur.

LIX.

Sed originalis substantia cordis & anima, que etiam
post lapsum remansit, à vitio & lepra peccati paulatim li-
berata,

B

berata,

berata & purgata, in pristinam imaginem transformatur
à claritate ... claritatem à Domini Spiritu, 2. Corinth. 3.

L X.

Aliud igitur anima cum tota substantia hominis .

L X I.

Aliud prauitas cordis & vitium vel lepra peccati in
corde & anima, vel tota carne & substantia hominis .

L X II.

Ut igitur maximè substantialibus verbis utatur scri-
ptura, cum accusat non nudum accidens malum, sed fon-
tem & causam mali, cor ipsum .

L X III.

Tamen in omnem aeternitatem nemo probabit, Deum
accusare cor vel carnem propter sui substantialitatem .

L X III I.

Ergo quorsum, quorsum sese vertant noui dogmatis
authores, accusatur cor, quia lapidosum, saxosum, prauum
& peruersum .

L X V.

Sublata igitur lapidositate, saxositate, prauitate, &
peruersitate, nunquid tum quoque scriptura cor hominis ac-
cusabit? Vbi igitur tum substantia peccati?

L X VI.

Rectè igitur distinguit Paulus Rom. 7. Non autem
ego operor malum, sed quod habitat in me peccatum .

L X VII.

Non quòd Paulus sentiat, naturam vel substantiam
suam nihil peccare, nihil habere vitij vel peccati .

Aus

LXVIII.

*Aut peccatum taliter habitare in substantia sua, sicut
malus hospes in hospitio bono, quod ex malitia hospitis nihil
contrahit malitia.*

LXIX.

*Sed ut ostendat aliud esse ipsam substantiam, quae in
conuersione incipit hanc innatam & connaturalem mali-
tiam per Spiritum sanctum execrari & auersari: Aliud
verò ipsam malitiam naturae vel substantiae, quae substan-
tia naturaliter inhabitat & inheret.*

LXX.

*Certè, si cor propter sui substantialitatem, non propter
inherens venenum in medullis suis peccaret, procul dubio
ante & post lapsum, ante & post conuersionem, in aeternum
peccaret.*

LXXI.

*Aut abolito peccato, abolita esset substantia cordis, &
per consequens homo sine corde.*

LXXII.

*Praclare dicit vir Dei Lutherus in seinen Tischreden/etiam de ratione humana, quam alioqui tanquam de-
perditam bestiam extremè execratur, Die Substanz vnd
das wesen an jm selbs bleibet/ wie es geschaffen ist/ Die
Eitelkeit aber vnd das böse gehet vnter/ wann die ver-
nunfft vom heiligen Geist erleuchtet wird etc. fol. 70.
Sic Tom: VVitemb. 12. fol. 310. im Hans Worst/ vnd in
in der Jenischen Hauspostill/ Dominica Iudica &c.*

LXXIII.

Confer cum hoc dicto, quod quidam audet sine fronte in uniuersam Ecclesiam spargere, Incommodè scilicet aut potius falsò à quibusdam dici, quòd oporteat distinguere bonam Dei creaturam, à malo accidentario, præsertim in summo anime rationalis gradu.

LXXIIII.

Imò audet & hoc dicere, taliter naturam hominis mutatam, sicut olea in oleastrum, vitis in labruscam, argentum in scoriam.

LXXV.

Vt sicut non potest labrusca separari à vite, oleaster ab olea, scoria ab argento, cum olea, vitis & argentum, amplius non adsint, Ita nihil hic excoqui, nihil separari posse, nec ullas sordes expurgari, Hæc ille.

LXXVI.

Queritur igitur primùm, quid de conuersione hominis docendum, vel sperandum sit, si in natura lapsa nihil expurgari, nihil separari queat, nec ea amplius adsit.

LXXVII.

Deinde & hoc queritur, quid Christus assumpserit ex natura & substantia nostra, Oleam vel Oleastrum, Argentum an Scoriam.

LXXVIII.

Certum hoc nobis est, eum hanc ipsam, & non aliam naturam assumpsisse, quam redimere voluit.

Ea au-

LXXIX.

† *Ea autem cum post lapsum naturali propagatione ex Adamo in beatam Mariam virginem deuenerit, purgari à Spiritu sancto à contagione peccati originalis (iuxta hos noui dogmatis authores) non potuit, supra propositione 75.*

† *Contrarium uide apud Lutherum, In der Teutschen Hauspostill anstage der Verkündigung Mariæ, Et in Gene. Tom. 4. cap. 38. fol. 31. pulcherrime.*

LXXX.

Talia scilicet portenta & monstra gignimus nos noui Magistri Lutheri, cum nobis simplicitas sana doctrina, quam ab hoc preceptore (ex Dei inquam verbo) accepimus, displicere ceperit.

LXXXI.

Omnia certè, quæ ad explicationem huius materie de originali iusticia & imagine Dei, de originali peccato, & imagine Sathane, pertinent, luculenter, plenè & planè uir Dei Lutherus tradidit, ut nec Sacramentariorum commentariolis, nec nouis illis somniatoribus nobis opus sit.

LXXXII.

Nusquam tamen docuit nec somniauit Lutherus, Peccatum esse substantiam.

LXXXIII.

Multo minus ita insanijt, ut diceret, peccatum esse ipsam animam rationalem, quemadmodum furiosè delirant contra Dei uerbum, Spiritus illi vertiginosi.

LXXXIIII.

Tueamur igitur bona fide depositum bonum, quod uobis Spiritus sanctus per Lutherum tradidit.

B 3

Fugiamus

LXXXV.

Fugiamus ergo illos nouorum dogmatum autores, & in simplici veritate grata mente acquiescamus.

Nazianzenus in oratione de modestia
in disceptationibus obseruanda.

Non nimis feruidi, & sine ratione, nostri solum amatores siamus, ne à regia via excedamus.

Lutherus in libro: *Das diese wort
noch fest stehen.*

Miselli mei Schuuermeri sunt pueriliores, quàm ut possint bonas suas cogitationes contemnere. Ideo sentiunt, quicquid somniant, id statim ipsum esse Spiritum sanctum. O quàm multa preclara cogitationes sepe mihi in tractatione scripturarum inciderunt, quas oportuit me abijcere, Eas si quispiam ex Schuuermeris concepisset, non suffecissent illi omnium typographorum prela &c.

SIMPLEX ET BREVIS RESOLVTIO SCRIPTI, IN QVO DISPVTATUR,

Originale peccatum esse ipsam substantiam hominis. Item, ipsam animam hominis esse peccatum originale.

Quia vera & falsa in hac disputatione miscentur sine necessarijs distinctionibus, vnde doctrina per se plana intricata redditur, & iudicium perturbatur, vt igitur explicatio eo sit planior, & dijudicatio facilior, veram sententiam in aliquot membra distributam distinctè proponam, vnde solutio ad omnia argumenta sumi poterit. Deinde ostendam, quantum incommodi habeat opinio illa, quòd peccatum sit substantia.

PRImò

PRImò igitur non pauci sunt, qui peccatum originale ita extenuant, ut fingant esse tantum accidentium quorundam corruptionem: ipsa hominis, & præcipuè anima substantia, existente iam post lapsum, & manente integra, illesa & pura: ita, ut remoto isto quasi impedimento, ipsa hominis substantia iam post lapsum ante renouationem Spiritus, per se, in se, aut ex se habeat spirituales aliquas vires seu facultates, quas ex se conferat ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales, Sicut, si allium Magneti illitum abstergetur &c. Sed quicumq; sunt, qui ita sentiunt, iure, merito, & quidem serio damnandi sunt. Sententia enim est à Scriptura dissentiens, & prorsus Pelagiana, sicut Augustinus de gratia Christi & peccato originali lib. 2. cap. 6. Celestini Pelagiani sententiam recitat his verbis: Peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine, quia non nature delictum, sed voluntatis esse demonstratur. Item, ne per baptismatis occasionem, ad creatoris iniuriam, malum antequam fiat in homine, tradi dicatur homini per naturam. Hec sunt Celestini verba. capite decimotertio. Pelagij sententiam his verbis recenset. Omne bonum vel malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur à nobis, capaces enim utriusq; rei, non pleni nascimur, & ut sine virtute, ita & sine vitio procreamur; atq; ante actionem propriae voluntatis, id solum in homine est, quod Deus condidit. Cap. 30. Pelagius vocat laudabilem sanitatem & puritatem nature. Et contra Iul. lib. 3. ca. 1. Augustinus de Pelagianis inquit: Noui heretici dicimini, quia omne malum quod peccatum desinitur, asseritis non in natura, sed in voluntate consistere &c.

Secundo,

SECUNDO contra has Philosophicas & Pelagianas imaginationes opponenda, perspicue explicanda, & acriter defendenda est vera & perpetua Ecclesie sententia, ex certis & firmis scripture fundamentis extracta, quod scilicet in homine iam post lapsum, ante renouationem, natura seu substantia, nequaquam sit integra, pura aut sana. Sed quod ipsa natura, seu substantia hominis, precipue vero anime humane sit corrupta, vitiata seu deprauata, idque non leuiter, vel in superficie tantum, nec etiam in parte tantum aliqua, sed quod tota massa (vt ita dicam) substantie seu nature humane, precipue vero anime, summa & extrema deprauatione sit corrupta & vitiata, multo tristius, quam vlla humana mens vel cogitare vel comprehendere potest. Atque illa deprauatio disertè ex verbo Dei explicanda est. Licete. nim potentie anime in externis, que rationi subiecta sunt, suas naturales quasdam adhuc reliquas habent vires seu facultates, quamuis & illas valde infirmas, languidas, imperfectas, et varijs modis contaminatas: In spiritualibus tamen anima in omnibus suis potentijs, extreme & summe est per peccatum deprauata, primo amissione seu despoliatione, vt ne scintillam quidem spiritualis efficacie seu facultatis, naturaliter habeat, in mente, voluntate & corde, ad inchoanda & efficienda ea, que sunt Spiritus. Secundo accessione seu acquisitione contrarij mali, quod scilicet ratio extollit sese aduersus scientiam Dei, 2. Cor. 10; Figmentum cordis humani tantum malum est à pueritia, Gene. 6. & 8. Imò sensus carnis est inimicitia aduersus Deum, Rom. 8. &c. Et hac deprauatio, qua natura humana vitiata & corrupta est, vocatur & est peccatum originale. Hac vero corruptio seu deprauatio, non est abstractum aliquod seu Idea aliqua extra substantiam seu naturam humanam,

manam, sed haeret in ipsa natura seu substantia nostra, & tanquam spirituale venenum infecit, peruasit, & diffusum est longè latèq; per omnia membra (sicut Paulus Rom. 6. loquitur) totius substantia seu natura nostra.

Et hoc ipsum, nec aliud vel amplius volunt, probant, aut efficiunt plurima illa dicta scripturae Lutheri, & aliorum, quae FLACIVS cumulavit. Lutherus vocat peccatum naturae, peccatum substantiale seu essenziale. Mox autem explicat se, quòd scilicet propriè non consistat in motu seu actu, sed quòd tanquam morbus in ipsa natura hereat, ita, ut tota substantia hominis depravata, ipsa materia seu massa vitio seu peccato corrupta sit. Haec enim sunt Lutheri verba.

TERtio, Sicut caro leprosi ab infectione lepra, non potest ad oculum separata seu distincta ostendi. Est enim tota caro longè latèq; per lepram infecta & contaminata. Aliud tamen esse ipsam carnem, aliud lepram, quae inficit carnem, nullum est dubium: Ita non potest seorsim & separatim ad oculum monstrari ex vna parte substantia humanae naturae sine peccato, & ex altera parte vitium seu peccatum extra naturam humanam. Est enim ἀμαρτία ἐνπερίσκατος, Heb. 12. prauitas tenacissimè inherens toti substantiae humanae naturae & omnibus ipsius partibus. Omnino tamen, non tantum propter dialecticas distinctiones, sed propter articulum creationis, distinguendum est inter ipsam substantiam hominis, quae Deum habet autorem, & inter peccatum, quod à Diabolo ortum, per vnum hominem intrauit in mundum: Ita Lutherus in Catechismo minori & maiori, in explicatione primi articuli expressè docet, corpus & animam, intellectum rationalem, & omnes sensus, etiam adhuc hodie in hac naturae corruptione condi & dari nobis à Deo, cum peccatum,

C

catum,

catum, quo depravata nascitur illa nostra substantia seu
natura, non sit à Deo, sed à Diabolo. Augustana etiam con-
fessio articulo 19. ita tradit: Tametsi Deus creat & conser-
uat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum,
Diaboli & impiorum, Iohan. 8. cum mendacium loquitur,
ex proprijs loquitur. Hanc distinctionem tota vetustas, &
precipue Augustinus multis in locis, & quidem iustis tra-
ctationibus probat & defendit, De gratia & peccato &c. li-
bro 2. cap. 33. Non intuendum est, quid boni sit in procrea-
tione nature, sed quid in peccato mali, quo certum est vi-
ciatam esse naturam. Simul autem utrumq; propagatur,
& natura & nature vitium, quorum unum est bonum, al-
terum malum: Illud de conditoris largitate sumitur, hoc de
originis damnatione attrahitur, Cap. 37. Natura nascentis
author est Deus, vitij author est Diabolus & hominis vo-
luntas. De nuptijs & concupiscentia lib 2. cap. 29. In par-
vulo non unum est tantum, id est, natura, in qua homo à
Deo bono creatus est, habet enim et vitium, quod per unum
hominem in omnes homines pertransijt. Idem in Psal. 68.
Iniquitas quippe ipsa non est substantia, non enim iniqui-
tas est natura, quam formavit Deus, sed est perversitas,
quam fecit homo. Contra Iulia: lib. 1. cap. 3. catholica fi-
des predicat, omnino nullam esse naturam, que non sit aut
ipse Deus, aut ab ipso facta sit, ut quantacung; aut qualis-
cung; natura sit, & in quantum natura est, bonum sit:
Querunt itaq; à nobis, unde sit malum. Respondemus, Mala
licet intelligamus non esse naturas, sed vitia naturarum,
tamen simul intelligimus ea, nisi ex aliquibus, & in ali-
quibus naturis esse non posse, nec aliquid esse malum, nisi
à bonitate defectum, Et mox, Nulla natura, in quantum
natura

natura est, malum est, sed quia deficit ab illa natura, quæ
summum & incommutabile bonum est &c.

QUARTO, Non autem tam longe discernenda, seu ita
seorsim & separatim ponenda sunt substantia seu natura
hominis, & peccatum, ut peccatum quidem pronuncietur
esse malum, ipsa vero hominis substantia, seu natura in
hac corruptione, dicatur esse integra, pura, sana &c. Item,
quasi Deus peccato quidem irascatur, natura vero hominis
in hac corruptione, sine reatu & insons habeatur. Item,
quasi non ipsa natura humana, qualis est in hac corruptio-
ne, non ipse homo, non ipsa anima peccet, Sed accidens ali-
quod sit, quod peccet non ipse homo, non anima &c. Hæc
enim falsa & impia sunt. Sed quia depravatio peccati na-
turam ita peruasit, & tam altè in illum locum defixa est,
sicut supra diximus, simul comprehenditur & subiectum,
hoc est, substantia seu natura humana, in qua heret pecca-
tum, & ipsum peccatum herens in humana natura. Pro-
pter peccatum enim inherens, Deus ipsam animam, ipsum
hominem, aut ipsam naturam humanam accusat & da-
mnat, nisi fiat remissio. Et ratione peccati, quo natura hu-
mana viciata & depravata est, anima peccat, Inde etiam
ipsa natura viciosa & prava est: Ita Augustinus contra Iu-
lianum lib. 1. cap. 3. Si queratur qualis sit Angelus vel ho-
mo male voluntatis? rectissimè respondetur, Malus: magis
accipiens nomen ex voluntate mala, quàm ex natura bona,
quoniam natura est ipsa substantia & bonitatis, & malitiæ
capax. Idem Hypognost. 2. Adam factus est natura absque
peccato, cum verò peccavit homo, peccavit natura, & facta
est natura iam peccatrix, id est, vitium habens peccati, non
ipsa effecta vitium seu peccatum. Hæc Augustinus. Ibidem:
Homo peccator genuit hominem, sine dubio peccatorem,

C 2 quia

quia de natura viciata non nisi natura nascitur viciosa, id est, peccatrix, Lib. 4. Hypognost. Libidinem dicimus naturale malum, non quia sit nature Deo opifice congenitum, sed quod à peccante natura transferit in peccatricem naturam &c. Idem in Enchiridio, cum multis disputasset de distinctione nature seu substantie, quatenus à Deo conditur, & peccati, quo viciata est natura, tandem cap. 13. inquit: Vnde res mira conficitur, ut quia omnis natura, in quantum natura est, bonum est, nihil aliud dici videatur, cum viciosa natura mala esse natura dicitur, nisi malum esse quod bonum est, Scriptum est autem: Ve his, qui dicunt bonum bonum malum, vel malum bonum. Et tamen Dominus ait: Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Quid autem est malus homo, nisi mala natura? quia natura homo est. Porro si homo aliquid bonum est, quia natura est, quid est malus homo, nisi malum bonum? Tamen cum ista duo discernimus, inuenimus, nec ideo malum, quia homo est, nec ideo bonum, quia iniquus est, sed bonum quia homo, malum quia iniquus. Omnis itaq; natura etiamsi viciosa est, in quantum natura est, bona est, in quantum viciosa est, mala est &c.

Hæc observatio multa sophismata in hac disputatione explicat. Scriptores enim aliquando distinctè loquuntur de natura, quatenus substantia est, à Deo condita, & de peccato, quo natura viciata & deprauata est. Aliquando verò vna locutione complectuntur subiectum & vitium, quod in subiecto illo hæret, hoc est, simul complectuntur ipsam naturam, & peccatum, quod in natura habitat, atq; pronunciat hominem esse malum, cor malum, prauum, peruersum, naturam viciosam, prauam &c. Et tamen nihilominus manet, & retinenda est distinctio inter naturam seu substantiam,

nam, quatenus à Deo est, & inter peccatum, quod Diabolum habet autorem, atq; per unum hominem intrauit in mundum. Sicut de illis locutionibus accuratè tractat Augustinus libro 6. cap. 7. contra Iulianum, ut si appelletur domus pro ijs, qui sunt in domo. Nullo itaq; modo sequitur, Quia scriptura utitur vocabulis substantialibus in descriptione peccati originalis, ideo peccatum esse substantiam.

In his 4. capitibus existimo comprehendi posse totam disputationem de hac questione. Et ex hisce commonefactionibus sumi possunt explicationes & refutationes omnium argumentorum, quæ cumulantur, ad probandum novum hoc antiquitus explosum dogma. Quòd peccatum originale sit ipsa substantia hominis, seu ipsa anima humana. Non igitur opus esse iudico, singulis argumentis peculiare addere refutationes, cum generalis commonefactio sufficiat.

Hæc sententia, quam breuiter exposui, vera, simplex & sana est, quæ quia in scriptura fundata est, habet consentientia testimonia totius veteris Ecclesie.

Noua verò illa opinio, quæ tradit peccatum originale esse ipsam substantiam humane nature, imò ipsam animam rationalem esse peccatum originale, nullo modo vel assensione, vel dissimulatione in Ecclesiam admittenda est, idq; propter multas veras & graues rationes.

I. Paulus iubet vitare κεινοφωνίας, hoc est, prophanas vocum nouitates. Ita enim vetus interpres non malè legit, 1. Timoth. 1. reprehendit ετεροδιδασκαλίας, qui à recepta forma doctrinæ & sanorum verborum discedunt, & aliam nouam formam docendi sibi fingunt. Certum autem est in nostris Ecclesijs, ab annis iam ferme 50. inaudita hæcenus

fuisse hæc paradoxa, Peccatum esse substantiam. Item, si
queratur, in quo predicamento sit peccatum, ut respondeatur,
in predicamento substantie. Similiter etiam inaudita
fuerunt hæc τριτολογίαι: Quid est peccatum originale? Est
anima hominis &c. Quid est anima rationalis? Est pec-
catum originale &c. Imò Parisienses in sua censura Luthe-
rum huius opinionis insinularunt, quasi peccatum origi-
nale ita exaggeraret, ut doceret esse ipsam substantiam ho-
minis. Sed & Lutherus & alij ostenderunt, fieri iniuriam
nostris Ecclesijs. Et articulus 19. in Confessione Augustana
disertè distinguit ipsam materiam, seu substantiam, cuius
conditor est Deus, à peccato, quo authore Diabolo & homi-
ne, deprauata est natura &c.

II. Vetus Ecclesia unanimi consensu, & iudicio gra-
uissimo opinionem hanc publicè damnauit, quòd peccatum
sit substantia. Nec valet elusio, quasi ideo tantum damna-
ti sint Manichæi, quòd finxerint, principium mali coæter-
num bono Deo, quòdque originem peccati deduxerint ex ipsa
mox creatione. Augustinus enim utrumque Manichæis tri-
buit, contra Iulianum libro 1. cap. 3. Non satis resistimus
Manichæis, nisi obtineamus, non esse mala orta, nisi ex bo-
nis, nec ea mala substantias esse, sed substantiarum vitia
creatarum, quibus deficiunt à bono, Hæc est doctrina catho-
lica sanitas, qua Manichæa pestilentie virus expellitur.
Hæc ibi Augustinus. Qui in plurimis locis sollicitè hoc amo-
litur, ne existimetur sentire, peccatum esse substantiam. Vt
contra Iulianum lib. 2. & lib. 5. cap. 1. lib. 6. cap. 7. & 8. &c.
& innumeri extant apud Augustinum loci, imò multi iusti
tractatus, ubi disputat contra Manichæos, Peccatum non ef-
se substantiam seu naturam, Sed esse & herere in substan-

*tia. Rectè ergo ad hanc disputationem accommodatur illa
Cassiani sententia: Sciant se in Manichæis cineribus ignes
querere, & nouis flatibus fauillas veteres excitare.*

*III. Pretenditur quidem, propter corruptelistas Pela-
gianisantes hæc disputari, & magnitudinem peccati origi-
nalis, quia in hac vita non satis agnoscatur, non posse ni-
mium exaggerari &c. Sed corruptelus non rectè resistitur,
fingendis nouis erroribus. Et tunc satis exaggeratur magni-
tudo peccati originalis, si & sentiamus & loquamur cum
scriptura, & usitatam receptamq. in nostris Ecclesijs doctri-
ne formam retineamus. Nec opus est falsis opinionibus, &
nouis verborum portentis, ad veram peccati exaggeratio-
nem. Veritatis enim oratio simplex, & in Theologia pesca-
toria est iuxta Ambrosium.*

*IIII. Opinio hæc pugnat cum vero sensu articuli crea-
tionis: Credimus enim Deum esse creatorem, non tantum
ideo, quòd in principio crearit omnia, sed sicut Catechismus
noster disertè inquit: Credo, quòd Deus me, vnà cum alijs
creaturis omnibus, crearit, quòd corpus, animam, oculos, au-
res & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi de-
derit, & adhuc sustentet &c. Et in Catechismo maiori Lu-
therus dicit: Quid est esse creatorem? Respon: Credo me
esse creaturam Dei, hoc est, quòd Deus mihi dederit, &
quotidie sustentet corpus, animam, vitam, membra, omnes
sensus, rationem, intellectum &c. Et Iob, qui in hac nature
deprauatione in peccatis conceptus & natus fuit, dicit ca-
pite 10. Manus tue Domine fecerunt me, & plasmauerunt
me undiq. &c. Eccle. 12. In morte hominis spiritus redit ad
Deum, qui dedit eum &c. Quomodo verò opinio ista (quòd
peccatum sit substantia) hanc veram de articulo creationis*

doctrinam impugnet, peruertat & deprauet, non iam ex suspicionibus colligere necesse est. Scriptum enim illud FLACII manifestè & disertè affirmat, Hominem esse creaturam Dei, siue à Deo tantum initialiter, aut ratione primæ creationis, Gene. 1. hoc est, quòd Deus ante lapsum tantum creauit hominem, & quòd substantia hominis tantum ante lapsum fuerit à Deo, Nunc verò post lapsum, in hac natura corruptione, aliam & nouam esse hominis substantiam, quæ effecta sit à Diabolo, seu quam Diabolus effecerit, Ita, ut rectè dici possit, hominem non renatum, esse opus Diaboli, conditum à Diabolo. Et de ipsa quidem deprauatione, seu peruersione, rectè hoc dicitur. Iohannes enim vocat opera Diaboli, ad quæ soluenda uenerit Filius Dei. Sed FLACIUS intelligit hoc, & interpretatur de ipsa substantia hominis non renati, quam contendit opus esse Diaboli, conditum à Diabolo, Ita, ut totus homo sit ex patre Diabolo, hæc enim omnia sunt ipsius uerba. Et profectò horrenda hæc sunt. Et uel hinc estimari potest, quo tandem euasura sit hæc disputatio (quòd peccatum sit substantia) si uel consensione, uel dissimulatione in Ecclesia foveatur. Sicut igitur alijs corruptelis, ita etiam huic opinioni sine Prosopopipsia contradicendum est. Consideret etiam Lector quid monstrat, quòd dicitur, Diabolos tota specie & toto genere differre à sanctis Angelis &c.

V. Opinio hæc fædè deprauat usitatum in hac doctrina uocabulum corruptionis, quod intelligitur de uiolatione, uitiatione, deprauatione seu peruersione. FLACIUS uerò supponit nobis corruptionem, de qua Physici solent disputare, quòd sit transmutatio totius compositi substantialis, in aliud nouum Compositum substantiale, nullo sensibili remanente, Ita n. corruptionem suam Physici describunt.

Hanc

Hanc FLACIVS ita accommodat ad disputationem de peccato originali: Corruptio unius est generatio alterius, Ita, ut sicut id quod corrumpitur, fuit substantia, ita id quod per eam corruptionem generatur, sit nova & alia substantia: Sed peccatum originale est corruptio nature, seu substantie hominis, cuius corruptionis autor est Diabolus, Ergo per illam corruptionem genita & effecta est alia, & nova hominis substantia, que non sit à Deo, sed à Diabolo effecta. Tantum verba ipsius recito, Consideretur autem, qualia portenta & rerum & verborum in hac opinione lateant. In fine subiicitur disputatio de formis substantialibus. Item, an in corruptione substantiali fiat resolutio, usq; ad materiam primam. In tales labyrinthos rursus deducitur & conijcitur simplicissima doctrina de peccato originali, que ex sophisticis Scholasticorum prestigijs magno labore vix repurgata est ad piscatoriam Apostolica dictionis simplicitatem. Que verò tandem rursus forma futura est Theologia, si talia vel approbare, vel dissimulare perrexerimus? Lutherus peccatum vocat corruptionem, & naturam dicit per peccatum corruptam, Sed non intelligit FLACII corruptionem, inquit enim in 3. cap. Genes. Manet quidem natura, sed multis modis corrupta. Item, sic manent in natura membra eadem, sed turpia, inhonesta &c.

VI. Pugnat etiam hac opinio cum articulo resurrectionis, Credimus enim huius carnis resurrectionem, sicut Iob inquit: In hac carne mea videbo Deum meum. Non igitur aliam substantiam in resurrectione accipiemus, sed illam ipsam substantiam, in qua & nati & renati sumus, in resurrectione recipiemus, Sed ab omni peccati labe purgatam & sanatam, & cœlesti gloria clarificatam, cui gloria
quidem

quidem accidet, substantia verò seu natura non auferetur,
sicut veteres dicunt.

VII. Pugnât etiam hæc opinio cum articulo de incarnatione Christi. Vera enim & consolationis plenissima est doctrina, quòd Filius Dei non alterius vel generis, vel substantiæ naturam, quàm nostra est, assumpserit, sed quòd naturam humanam nostræ consubstantialem, & οὐκ ἑτέραν (sicut antiquitas locuta est) per omnia nobis similem, excepto peccato assumpserit, ut in illa nostra substantia peccatum damnaretur. Quod si, excepto peccato, alterius substantiæ fuisset caro Christi, quàm nostra, nihil ad nos pertinerent, quæ Filius Dei in carne sua pro nobis & passus est, & effecit. Sicut pulcherrimè illa Athanasius disputat. Ut igitur certi essemus, ad liberandam nostram peccatricem naturam pertinere incarnationem Filij Dei, noluit eo modo sibi corpus formare, sicut Adæ vel Eæ formatum fuit, sed voluit, licet ex Spiritu sancto, tamen in Maria virgine concipi, & ex ea nasci, ut humana ipsius natura per omnia esset nostræ similis, & consubstantialis, excepto peccato. Cogitet autem pia mens, quid secuturum sit in hoc articulo, si admittatur & recipiatur illa phantasia, de diuersitate substantiæ humane nature, quæ prorsus diuersa sit, & simpliciter tota specie & toto genere differat, quando est sine peccato, ut ante lapsum, & in Christo, Et quando peccato est deprauata.

Ex his commonefactionibus Lector, qui amat simplicem veritatem, & cupidus est eius formæ doctrinæ, quæ in Augustana Confessione, ex verbo Dei comprehensa est, & viuentis Lutheri in Ecclesijs nostris sonuit, retinenda,
& ab

*Et ab omnibus corruptelis & nouationibus conseruanda,
satis intelliget, quid sentiendum sit de noua hac antiquius
publicè damnata τετρατολογία, quòd peccatum sit substan-
tia, seu quòd ipsa anima rationalis sit peccatum originale.
Ego ab hac opinione simpliciter, seriò, & ex animo me non
tam dissentire, quàm abhorrere fateor. Et iudico non posse
à specie προσωποληψίας defendi, si reliquas quidem corru-
ptelas arguimus, hac verò & similia, nisi abijcian-
tur, vel consentiendo vel dissimulan-
do toleremus.*

Ad Hebræos cap. 13.
Doctrinis uarijs ac peregrinis
ne circumferamini.



Abh. 1. cap. 1. 2.
De circumscriptione



Jf 4600

ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





11X.

THEMATA
MAGINE DEI
IN HOMINE.

ORRE D. IOACHIMO
Episcopo Sambienſi, &c.

EADEM MATERIA
TRACTATVS D. DOCTORIS
i Chemnitij, Superintendentenſ
tis Brunſchvicenſis.

RA IMPIAM ET AB
ſurdam Propoſitionem:

n eſſe ſubſtantiam, uel ipſam
m animam rationalem.

*Ad Ephesios Cap: 4.
n circumferamur omni vento
doctrinae.*

VITEBERGÆ
Anno M. D. LXX.

7

h.

72

